

Jakob Carpov


Resurrectio Christi Ex Resurrectione Sanctorum Gloriosa

Vinariae: Hoffmannus, 1762

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841295050>

Druck Freier  Zugang





40

Fa-1092 (40.)

2.

3.

4.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

30

27


26

2

24

2

2



RESVRRECTIO CHRISTI

EX

RESVRRECTIONE SANCTORVM GLORIOSA.



DIVVLGAVIT

M. IACOBVS CARPOVIVS

I. G. V. D. M. P. P.

VINARIAE,

III APVD SIGISM. HENR. HOFFMANNVM.

MDCCLXII. r

30.

29

27.

26.

2

2
RESURRECTIO CHRISTI
LECTORI CHRISTIANO

S. P.

*Resurrectio
Christi varia
ratione glo-
riosa,*

I.
Quam diebus præterlapsis pia mente recolimus resurrectionem Christi feruoris, ea, licet a Iudæorum gente negata, ab irrisoribus neglecta, in se tamen gloriosissima fuit. Gloriosa erat ipso actu, dum, hominem mortuum sua sponte et vi ex clauso munitoque sepulcro viuum egredi, a mundo condito inauditum fuerat; gloriosa adiunctis, terræ motu vehementi, adparitione angelorum, resurrectionis nunciorum, tremore custodum, confusione procerum populi, vi astuque illam impediturorum Matth. XXVIII, 2. seqq.; gloriosa effectibus, adscensione Christi in cælum, effusione donorum Spiritus s., cursu præconii euangelici per totum terrarum orbem, et quod præcipuum, resuscitatione omnium mortuorum adhuc futura ac exspectanda I Cor. XV. 21. 22. Quare egregie Paulus dixit Christum ὁρισθέντα εἰς θεὸν ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἀγιωσύνης (h. e. ipsam diuinitatem eius), ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν Rom. I, 4.

*speciatim ex
resurrectione
sanctorum,*

II.
Enim vero quamuis plurima eorum, quæ gloriosam Christi resurrectionem faciunt, suppetant: in præsentia tamen huius tantum, quod ex resurrectione sanctorum gloriosa fuerit, rationem habiturus sum. Facile autem Lector, me digitum intendere, animaduertet, ad portentum sine exemplo, a solo Matthæo in historia passionis et mortis Christi narratum, dum sic fatur c. XXVII, 51-53: *petræ findebantur, et sepulcra aperiabantur, et multa corpora dormientium sanctorum excitabantur, et exeuntes (sancti) e sepulcris μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτῆς, ingrediebantur urbem sanctam, et adparebant multis.* Quam sanctorum resurrectionem, vt gloria resurrectionis Christi inde adpareat, non ad mortem, sed ad resurrectionem Christi referendam esse, prius ostendam.

III.

III.

Quinam illi sancti fuerint, saepe ab interpretibus mota, ^{quos tam vetustiores,} ad institutum praesens vero parum faciens, quaestio est. Sunt enim, qui pro vetustioribus ^{a)}; sunt, qui pro recentioribus pugnant ^{b)}. Licebit mihi igitur ita ratiocinari: quos Matthaeus e morte reuocatos narrat, illi erant sancti. Quo quis igitur sanctior fuerat siue vetustiori, siue recentiori tempore, eo minus, illum ex numero illorum resuscitatorum fuisse, dubitandum est. Enim vero Abrahamus, quippe cui ipse Deus testimonium pietatis dederat Gen. XIIX, 19, et qui praeter spem in spem promissioni Dei crediderat Rom. IV, 18, qui vel vnicum filium, patrem multorum populorum et Messiae ipsius futurum, Deo praecipiente immolare, ex fide non recusauerat Hebr. XI, 17, 19, qui denique diem Messiae videre desiderauerat Ioh. VIII, 56, omnes sui temporis pietatis laude antecelluerat. Aut parum, aut nil; veri Dei cultu ei cedebant Isaacus et Iacobus, salutem Dei (Messiam) expectans Gen. XLIX, 18; vnde Deus non Abrahami tantum, sed *Abrahami, Isaaci et Iacobi Deum* se adpellare solebat Ex. III, 6, 15, 16. IV, 5. Matth. XXII, 32. Hos igitur veri Dei seruos ex sanctis fuisse, qui, Christo resurgente, resuscitabantur, quid dubitemus? Et cur eandem gratiam ne gemus Sarae, pietatis muliebris exemplo? 1 Petr. III, 6. Cur Iosepho, sincero Dei cultori? Gen. XXXIX, 9. L, 19. Cur Iosuae, Deo seruienti cum domo sua? Ios. XXIV, 15. Et ne de multis aliis dicam, qui probabiliter in hunc censum referri possent, ipse Deus tres viros multis aliis pietatis laude praetulit, Noachum, Daniele, Iobum Ezech. XIV, 14, 16, 18, 20, idque merito. Noachus enim praeco erat iustitiae 2 Petr. II, 5, quem solum cum familia Deus dignum, qui in cataclysmo seruaretur, iudicauerat

A 2

Hebr.

a) Cornelius a Lapide in Commentar. in Proph. Ionam ad c. II, 11. p. 384. Lutherus in Comment. in Genes. ad c. XXIII. XLIX. L. Chytraeus in Disp. de resurrectione Christi et carnis nostrae, cuius Schultzius in vita Chytraei mentionem facit. Ioach. Langius in Comment. in Genes. XXIII, 4. alii.

b) Gerhard. in Harmonia Euangel. c. 203. Rufius in Harmon. Euangel. Tom. III. p. 1332. Wolffius in Curis ad Matth. XXVII, 52. alii multi.

30.

29.

27.

26.

Hebr. XI, 7. Iob Deus ipse elogium, quod *non sit par ei in terra*, quodque *sit vir integer ac rectus, timens Dei, et recedens a malo*, dabat Iob. I, 8, eiusque patientia nobis in exemplum proponitur Iac. V, 11. Danielem, ut hoc unicum commemorem, nec leonum fouea, et quæ inde pendeat naturaliter, mors cruenta a veri Dei cultu deterrebat Dan. VI, 10. sqq. Annon igitur, hos tres viros in numerum eorum, qui in vitam reuocati sunt, referendos esse, arbitremur? Contra non Mosén, nec Dauidem ex sanctis illis resuscitatis fuisse, adparet inde, quod Mosés ante mortem Christi resuscitatus Matth. XVII, 3, monumentum Dauidis vero post adscensionem Christi saluum fuerit Act. II, 29. Sed ut etiam de sanctis recentioribus dicam, quis Simeonem et Hannam insignia sanctitatis exempla fuisse, neget? Luc. II, 25. 37. Quis parem gloriam detrahat Iohanni baptistæ, alteri Eliæ Matth. XI, 14, et martyri? Matth. XIV, 10. Et cur non Iosephus, pater Christi nutritius, quem, mortuo Christo, pridem defunctum fuisse, ex omissa illius mentione in nuptiarum conuiuiis Ioh. II, 1, et ex commendatione Mariæ in Ioannis curam adparet Ioh. XIX, 27, inter sanctos recentiores pariter referatur? Itaque hi etiam et forsân plures nobis ignoti ex sanctis resuscitatis fuerunt.

quam recentiores fuisse, probabile est.

IV.

An soli sancti recentiores excitati?

an in solo agro Hieroso-

E contrario qui, solos sanctos recentiores excitatos fuisse, ex eo colligunt, quod hi quidem, non vero vetustiores Iudæis tunc viuentibus de facie noti fuerint, quodque propterea Iudæi sanctos recentiores sibi adparentes, ut rediuuios, agnouissent quidem, sed vetustiores non item: eorum argumentum ficulneum mihi esse videtur. Nam Mosés et Elias tribus discipulis Christi, præsentem Christo, adparuerant in monte, et licet nunquam his in hac vita de facie cogniti fuerint, tamen ab iis, sine dubio ex relatione et confessione, agnoscebantur Matth. XVII, 4. Similiter igitur sancti vetustiores resuscitati nomina sua iis, quibus se conspiciendos præbebant, significare, eoque ipso notos se facere potuerunt; quare non sequitur, eorum resuscitationem et adparitiones futuras fuisse sine fructu. Quemadmodum autem secundum nostram sententiam sancti tam intra, quam extra fines

EX SANCTORVM RESVRRECTIONE GLORIOSA. 5

fines terræ sanctæ resuscitati fuerunt (§. 3.), ita resuscitatio illa sanctorum ad eos tantum, qui in agro Hierosolymitano prope urbem exiguo ante mortem Christi tempore (h. e. paucis diebus vel hebdomadibus ante mortem Christi) sepulti fuerant, non mihi restringenda videtur. Etenim in vrbe, vbi totus ordo sacerdotalis Christo aduersabatur, numerum sectatorum Christi, breui ante Christi obitum tempore exstinctorum, admodum exiguum fuisse, credendum est; at multi sancti, teste Matthæo, excitabantur.

V.

Sed quicumque isti sancti fuerint, quatuor sunt, quæ scriptor sacer de illis memorat: 1) corpora eorum dormientium excitata fuisse; vbi somnum pro morte poni stilo scripturæ Dan. XII, 2. 1 Cor. XI, 30. 1 Theff. IV, 13, disputatione non indiget, quia de eiusmodi dormientibus, qui in monumentis, nunc apertis, repositi erant, sermo fit; 2) eos exiuisse ex monumentis *μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτῶν*, quia scilicet rediuuios in sepulcris mortuorum delitescere, consentaneum non erat; 3) eos ingressos esse urbem sanctam, i. e. Hierosolymam Matth. IV, 5, quæ cultus Dei publici causâ hoc titulo decorabatur; 4) eos multis adparuisse, non omnibus se conspiciendos præbuisse, quemadmodum idem de Christo rediuuiuo legimus Act. X, 40, 41. In his verò dum præcipue hæc determinatio: *μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτῶν* dissentendi et disputandi occasionem dedit, dum partim, vtrum ad præcedens, an sequens referenda sit, dubium visum est, partim in ipsâ notione vocis *ἔγερσις* non omnes consentiunt, de his quid verum videatur, priusquam caput causæ adgrediar, exponam.

VI.

ἔγερσις a plerisque interpretibus vertitur *resurrectio*. Ast quia descendit ab *ἐγείρω*, quod non tantum significat *surgo*, vt Ephes. V, 14, sed etiam *excito*, *expergefacio*, *resuscito*, e. g. Ioh. II, 19. Ephes. I, 20. Gal. I, 1. 2 Cor. IV, 4, b. Rufius in *Harmon. Euangelist.* ad h. l. vocem illam significare posse *resuscitationem*, docuit. Secundum hanc interpretationem hæc esset

lymitano re-
centissime hu-
mati?

30.

29.

27.

26.

Quid Mat-
thæus de san-
ctis resusci-
tatis narret?

verborum Matthæi mens: *Corpora sanctorum dormientium excitata, in vitam reuocata esse, et ex monumentis suis exiuisse, postquam Iesus, ipse iam mortuus, eos resuscitauerat.* Quamuis autem, nisi resuscitados, reuiuiscere non potuisse sanctos, exploratissimum sit, dictam tamen explicationem menti quatuorviri consentaneam mihi non videri, fateor, etiamsi vox *ἐγερσις* resuscitationem denotare ponatur. Primo enim vox resuscitatio, *ἐγερσις*, ad personam relata, non denotat resuscitantem, sed resuscitatum. Ita e. g. si dicam: resuscitatio Lazari, filiae Iairi, non intelligo resuscitationem, quam hi patrarunt, sed quæ in his patrata est. Quare si mens Matthæi fuisset: *post resuscitationem, a Christo in sanctis factam*, dixisset: *μετὰ τὴν ἐγερσιν αὐτῶν*. Dum vero Euangelista dicit: *μετὰ ἐγερσιν αὐτῶν*, non verti potest: *post resuscitationem, quam Christus patrauit in sanctis*, sed sensus est: *post resuscitationem, factam in Christo*, h. e. post resurrectionem Christi. Deinde ficto, quod *ἐγερσις* h. l. resuscitationem, non resurrectionem denotet, et quod verborum Matthæi sensus sit: *postquam Christus eos resuscitauerat*: Matthæus resuscitationem sanctorum aut humanitati Christi, aut Diuinitati, aut toti personæ eius tribuit. Sed humanitas Christi, vt tunc mortua (de hac enim sermo est), ad resuscitationem sanctorum nil per se conferre poterat. Quare nec de tota persona Christi sermo est Euangelistæ. Diuinitas Christi autem suum quidem conferebat ad sanctos resuscitandos, sed nil amplius, quam aut Deus pater, aut Spiritus S. Nam resuscitatio mortui, vt naturæ vires excedens, est miraculum. Sed miraculum, nisi per potentiam Dei absolutam, præstari nequit (El. Theolog. nat. §. 528.). Quare resuscitationem istam sanctorum per Dei potentiam absolutam factam esse, concedendum est. Enim vero eadem numero omnipotentia Patri inest et filio (i. e. diuinitati Christi) et Spiritui S. (Theol. Reu. Tom. I. §. 860. Sch. 3.); ex quo fit, vt quod vna diuinitatis persona agit per omnipotentiam, id agant omnes. Quocirca dum per omnipotentiam diuinam sancti resuscitati fuerunt, vno eoque indiuiso actu omnes tres Deitatis personæ istam resuscita-

uscitationem præstiterunt. Quo se habente sic, cur speciatim Diuinitati Christi istam sanctorum resuscitationem tribuisset Matthæus? non adparet. Nam humanitate Christi licet mortua, diuinitatem tamen non mortuam, sed vna cum patre et spiritu S. in operibus ad extra operatam fuisse, per se constabat. Quare verborum: *μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτῆς* hunc sensum esse: *an resurrectionem a Christo factam*, probabile non est; nisi que interpretatione ista, quod sancti e sepulcris exierint, postquam Christus eos resuscitauerat, superest altera, vt verborum: *μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτῆς* hic sensus sit: *post resurrectionem eius sc. Christi.*

VII.

Enim vero nunc noua eaque difficilior quæstio: *utrum ad præcedentia, an ad sequentia hæc verba: post resurrectionem eius referenda sint?* oritur. Nam diuersa ista relatio sensus generat diuersissimos. Fac primo, commate post vocem *αὐτῆς* posito, vti est in editionibus nostris, verba ista ad præcedentia referri ita: *τὰ μνημεῖα ἀνεώχθησαν, καὶ πολλὰ σώματα τῶν κοιμημένων ἁγίων ἠγέρθη, καὶ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνημείων μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτῆς, εἰσῆλθον εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν κ. τ. λ.* tunc aut hic erit verborum sensus: *in ipso Christi mortis momento sepulcra, forsân ex terræ motu, aperta, et corpora sanctorum dormientium in vitam reuocata, sed illos e sepulcris egressos esse demum post resurrectionem Iesu;* aut hic: *in momento mortis Christi sepulcra aperta, sed post resurrectionem Iesu demum corpora sanctorum dormientium excitata, et eos e sepulcris egressos esse.* Contra commate posito ad vocem *μνημείων*, et verbis, de quibus disputamus, ad sequentia relatis ita: *καὶ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνημείων, μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτῆς εἰσῆλθον εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν κ. τ. λ.* hic prodit sensus: *in mortis Christi momento sepulcra aperta et corpora sanctorum dormientium excitata, et eos e sepulcris egressos esse; eos autem post resurrectionem Christi demum in urbem sanctam venisse, et multis adparuisse.* Vt series euentuum secun-

30

29

27

26

dum trinum concipiendi modum clarius intelligatur, proponam in tabula:

I	II	III
1. Christus moritur.	1. Christus moritur.	1. Christus moritur.
2. Sepulcra sanctorum aperiuntur.	2. Sepulcra sanctorum aperiuntur.	2. Sepulcra sanctorum aperiuntur.
3. Corpora sanctorum in iis euigilant.	3. Christus resurgit.	3. Corpora sanctorum in iis euigilant.
4. Christus resurgit.	4. Corpora sanctorum in sepulcris euigilant.	4. Sancti exeunt e sepulcris apertis.
5. Sancti exeunt e sepulcris apertis.	5. Sancti exeunt e sepulcris apertis.	5. Christus resurgit.
6. Sancti ingrediuntur Hierosolymam et adparent multis.	6. Sancti ingrediuntur Hierosolymam et adparent multis.	6. Sancti ingrediuntur Hierosolymam et adparent multis.

Quia autem manifeste absurdum est, sanctos, in morte Christi in vitam reuocatos, per xxx horarum spatium vsque ad resurrectionem Christi in sepulcris apertis adhuc delituisse, siquidem nulla ratio, cur rediuiui facti non statim ex tumbis patefactis egressi sint, allegari potest: hæc duo tantum discutienda supersunt: *vtum, licet monumentis in morte Christi terræ motu apertis, sancti tamen post Christi resurrectionem demum in vitam reuocati et ex sepulcris egressi sint?* an, *mortuo Christo, sepulcris apertis, confestim sanctorum corpora in vitam reuocata, ipsique e tumbis egressi sint, sed tempore intra mortem et resurrectionem Christi intermedio (portis vrbis sabbathi causa clausis) extra urbem heic illic latitantes, post Christi resurrectionem demum venerint in urbem sanctam et multis adparuerint?*

VIII.

*Cui interpretationi fauere-
at versio Syriaca?*

Fatendum est, interpretationi huic posteriori fauere versionem Syriacam, antiquitate tam commendabilem, vt vel apostolorum ætate facta dicatur. Verba enim Matthæi: ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνηκείων μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτῆς, εἰσῆλθον εἰς τὴν ἀγίαν πόλιν, Syrus interpres, neglecto commate, in multis editionibus post vocem αὐτῆς posito, sic vertit secundum editionem Gutbirii: ἰδὲ αὐτῶν ἰδὲ τῶν μνηκείων μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτῆς : σὺν αὐτῶν εἰς τὴν πόλιν . οὐδὲν ἄλλο
h. e. et egressi sunt (omissa noua sepulcrorum mentione), et post resur-

resurrectionem eius adscenderunt in urbem sanctam; vbi per præfixum o, hoc est, particulam et verba hæc: *post resurrectionem eius copulari cum sequentibus, res ipsa docet. Quamquam autem id facile conceditur, sanctos resuscitados post resurrectionem Christi urbem Hierosolymam ingressos esse: tamen si eo extendatur, quod confestim post mortem et ante resurrectionem Christi in vitam reuocati, et e sepulcris egressi sint, sed ante portas latuerint vsque ad resurrectionem Christi, qua facta ingressi sint urbem, nego.*

IX.

Diuus Paulus adpellat Christum *πρῶτον ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν* Act. XXVI. 23, *ἀπαρχὴν τῶν κεκοιμημένων* I Cor. XV, 20, 23, *ἀρχὴν πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν* Col. I, 18, locutione ex primitiis frugum, Deo offerendis, desumpta Deut. XXVI, 2. 10; Iohannes autem *τὸν πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν* Apoc. I, 5. Hæc igitur prædicata, aut solam Christi præcellentiam præ reliquis mortuis, in vitam reuocatis reuocandisque, ex personæ ac officiorum eius dignitate, ob eamque causam ex eo quoque, quod causa efficiens resurrectionis omnium mortuorum, simulque causa promerens resurrectionis fidelium sit*), pendentem; aut hanc quoque temporis notationem indicant, quod, temporis ratione habita, omnium, ex morte in vitam reuocatorum, primus sit Christus. Enim vero prius locum habere nequit. Nam qui omnes reliquos perfectione superat, is eatenus quidem primus, sed non primum natus, vel primum genitus adpellari potest. Nam is, ante quem non alius natus est, est primum natus; quo sensu Christus quoad humanitatem primus ex Maria natus Luc. II, 7, quoad diuinitatem autem *πρωτότοκος πάσης κτίσεως* Col. I, 15, i. e. genitus priusquam vlla res creata erat, adpellatur. Itaque voce *gigni* ad reuocationem in vitam translata, *primum genitus ex mortuis* non potest non sic in vitam reuocatum, vt ante eum alius reuocatus non sit, significare.

Quo sensu
Christus dicatur
primum
genitus ex
mortuis?

B

Quare

*) Sententia hæc est Erasmi in Annotat. ad Rom. I, 4 scribentis: *Vt demus, hos priores Christo reuixisse; nihil fecius primitiæ dormientium erit Christus, qui princeps et auctor fuit resurrectionis omnis, per quem et illi reuixerunt, qui priores illo reuixerunt!*

30.

29.

28.

27.

26.

Quare hoc est, quod prædicatis citatis Paulus atque Iohannes Christo tribuerunt *). Ast vt omne dubium eximatur, Paulus vltcrius procedit. Etenim præstantiam Christi summam *ex æterna eius deitate, ex creatione et conseruatione omnium, ex redemptione et sanctificatione hominum et ex relatione fidelium ad eum, tanquam caput*, recensens Col. I, 14--22, non tantum eum ἀρχὴν πρωτότοκου ἐκ νεκρῶν adpellat, sed etiam addit rationem finalem: ἵνα γένηται ἐν πᾶσι αὐτὸς πρωτεύων. Cui noua addita est ratio: ὅτι ἐν αὐτῷ εὐδόκησε (Deo) πᾶν τὸ πλήρωμα (perfectionis) κατοικῆται. An vero is primas tenet in omnibus, qui ratione temporis primus non est? Quare dum Christus primum genitus ex mortuis est, vt in omnibus primas teneat, ita eum ex morte in vitam reuocatum esse, vt ante eum non sit reuocatus alius, necesse est. Taceo, idem hoc indicare Paulum, ordine euentuum statuto, Christum τὴν ἀπαρχὴν τῶν ζώοποιήθεντων adpellantem 1 Cor. XV, 22. 23.

X.

*) Nolo h. l. dissimulare, b. Buddeum quoque in *Meditationibus sacris* et speciatim in *Programmate de Christo primogenito ex mortuis* p. m. 184 adstipulari illis, qui hoc sensu Christum primogenitum ex mortuis adpellari, putant, quod caput, dominus, princeps omnium resuscitatorum et resuscitationis eorum causa sit. Mouet eum vsus vocis רִבְבָּ, quæ primogenitum vel natu maximum significat, et nihilominus interdum de eo, qui primus, vel præcipuus est, adhibetur; quemadmodum David, vel potius Messias dicitur *primogenitus regum*, hoc est, præcipuus, summus, gloriosissimus Pl. LXXXIX, 28, et *primogenitus pauperum* pauperrimus, miserrimus, vel mendicorum quasi antesignanus adpellatur Ies. XIV, 30. At significatum proprium a metonymico discernere, par est. Vox רִבְבָּ proprie denotat primum genitum; ast filius natu maximum in gente Hebræorum post patrem principatum tenebat in familia Gen. XLIX, 3; quare, causa pro effectu metonymice posita, eadem vox principem, primarium denotat. Hoc notato, argumentum infractum est. Significatus vocis proprius translato, qualis est metonymicus, præferendus est, quoad nulla eum deferendi nos vrget necessitas. Quodsi igitur vlllo modo fieri potest, vt Christus primogenitus ex mortuis dicatur hoc sensu quoque, quod tempore primus sit resuscitatorum et resuscitatorum ex morte, hæc explicatio repudianda non est. Sed fieri illud posse, sequentia manifestum facient.

Itaque teste Paulo et Iohanne, Christus, præterquam quod primus resurgentium sit ratione perfectionis, est etiam ratione temporis (§. 9). Verum enim vero inexsuperabilis difficultas huic obesse videtur, dum non solum prophetarum opera resuscitati 1 Reg. XVII, 23. 2 Reg. IV, 35. 36. 2 Reg. XIII, 21, sed etiam quos ipse Christus in vitam reuocauit, filius viduæ Luc. VII, 12, filia Iairi Marc. V, 41, Lazarus Ioh. XI, 43, resurgendo, resurrectionem Christi anteuertent. Quare conciliationem tentans Epiphanius in *Ancoratu* §. 94. Tom. II. Opp. p. 96. Edit. Paris. 1622, distinguit inter *resurgentes ad hanc atque ad alteram æternamque vitam, horum primum fuisse Christum, dicens, cum ex aduerso ante Christum resuscitati ad præsentem tantum vitam, cum morte iterum commutandam, reducti sint.* Hæc vero conciliatio cur locum habere nequeat, dixi in *Dissertat. de vera notione testamenti veteris* §. 32. Quamuis enim non negem, omnes istos ad vitam præsentem resuscitados, et secunda vice mortuos fuisse (Theol. Reuel. T. I. §. 1433. Sch. 2), exemplum tamen Mosis irritam distinctionem facit. Hic enim ἐν δόξῃ, h. e. corpore clarescente, Christo et discipulorum trigæ adparens, et Eliæ similis factus Luc. IX, 30. 31, non poterat non ad vitam cælestem æternamque e morte reuocatus esse; ex quo, Christum non esse primitias resuscitatorum ad vitam æternam, in promptu est. *)

XI.

Aliam igitur viam conciliationis quæsiui, inter resuscitados testamenti veteris et noui distinguens. Ante omnia autem ob-

B 2

Christus est
primus re-
surgentium
tempore N. T.

*) De quæstione: *an Christus fuerit primus resurgentium ad vitam æternam?* in utramque partem disputat Seb. Schmidt in *Diss. de primitiis resurrectionis, Christo*, quæ est vicesima *Fasciculi Disputat. Theologico-Philolog.* Arbitratur autem, si alii ante Christum ad vitam æternam resuscitati fuerunt, eum tamen esse primitias resurgentium ratione destinationis, vtut non ratione oblationis; esse etiam primum eorum, qui ordinario modo resurgunt ad vitam æternam, cum e contrario e. g. Mosis resurrectio fuerit extraordinaria. Ast veluti resurrectionis ordinariæ et extraordinariæ notiones exploratæ non sunt: sic ego hoc potissimum, quod Christus primogenitus ex mortuis dicatur, vrsi (§. 9), ad quod auctor citatus non respexit.

An Christus
sit primus re-
suscitatorum
ad vitam
æternam?

30.

29.

28.

27.

26.

feruo, momentum mortis Christi tempori veteris testamenti terminum ponere, et initium facere noui, quia nouum, vt nouum, ante mortem Christi testatoris valere non poterat Hebr. IX, 16. 17, et cur, facta testatoris morte, non statim valeret, ratio nulla erat. Itaque cum Christus sit primus resurgentium ratione temporis (§. 9), nec tamen simpliciter, neque ratione resuscitatorum ad vitam æternam (§. 10), hanc Pauli mentem esse, quod Christus sit primus eorum, qui post mortem Christi, h. e. tempore N. T., in vitam reuocati fuerunt, adfero. Instituitis enim comparationem, quod, veluti in regno naturæ Christus qua diuinitatem est *πρὸ πάντων*, et omnia in ipso per creationem et conseruationem consistunt: ita etiam quoad regnum gratiæ ipse, vt *Θεάνθρωπος*, existens ἡ κεφαλὴ τῆ σώματος τῆς ἐκκλησίας scil. noui fœderis, sit ἀρχὴ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, h. e. primus eorum, qui N. T. tempore ex morte reuocantur, vt is, veluti in omnibus reliquis, ita etiam in resurrectione, temporis ratione habita, primas teneat, omnibus aliquando vitam redditurus.

XII.

Sancti resuscitati et e tumbis egressi post resurrectionem Christi.

Simulac Christus vitam cum morte commutauerat, initium temporis noui Testamenti factum erat (§. 11.). Quare si sancti, quorum Matthæus mentionem facit, statim post mortem et ante resurrectionem Christi in vitam reuocati fuerunt, primos hos esse eorum, qui tempore N. T. resuscitantur, fatendum est. Ast quomodo primi illorum esse potuerunt, cum Christum ipsum primogenitum ex mortuis tempore N. T. ex Pauli atque Iohannis testimoniis intelligamus? (§. 9. seqq.) Alterum enim heic excludit alterum et tollit. Quocirca sancti, quorum Matthæus mentionem facit, non statim post mortem et ante resurrectionem Christi resuscitati fuerunt. Quin potius quia Christus primus resurgentium tempore N. T. est, sanctos illos post Christum resuscitatum resuscitados, et e sepulcris egressos fuisse, adparet. Id quod ipse sacer scriptor per τὸ μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτῆ, tam ad excitationem corporum sanctorum dormientium, quam ad egressum eorum e sepulcris referendum, indicauit Matth. XXVII, 53.

XIII.

XIII.

Cui explicationi si feriem narrationis Matthæi obuertas, *Solutio dubii.* dicens, in historia resurrectionis, non mortis Christi istam sanctorum resurrectionem commemorandam fuisse, si post resurrectionem Christi contigisset, parum momenti hoc obmotum habet. Etenim Matthæus, aperturam sepulcrorum in morte Christi narrans, resuscitationem sanctorum simul quidem commemorat; at hanc posteriorem post Christi resurrectionem contigisse, indicaturus, studiose addidit hanc determinationem: *μετὰ τὴν ἐγερσιν* non *αὐτῶν*, sed *αὐτοῦ*, sc. Christi. Quare aduersus ipsa Euangelistæ verba series historiæ vrgeri nequit.

XIV.

Corpus spirituale ita se habet, vt illo instructus non a quolibet cernatur, sed ab illis tantum, quibus is se conspiciendum sistit (Theol. Reu. T. I. §. 1452. et sch. 4.). Itaque quicumque ex morte in vitam reuocatus ita fuit, vt non cuiuslibet obuio in oculos incurrerit, sed ab illis tantum, quibus is se conspiciendum sistere voluit, sit visus, ille resuscitatus est cum corpore spirituali. Attendamus illustrationis et confirmationis causâ ad exempla Lazari et Christi. Ad Lazarum resuscitatum videndum multus Iudæorum populus confluebat Ioh. XII. 9, adeoque is a quolibet obuio cernebatur; sed eum gessisse corpus naturale, exinde, quod cibi capiendi causâ accubuerit, adparet Ioh. XII. 2. Ex aduerso Christus resuscitatus, *ἐμφανὴς* fiebat non omni populo, sed tantum apostolis, vt prædestinatis a Deo testibus Act. X. 40. 41, aliisque adfectis 1 Cor. XV. 6.; at vero Christus etiam in ipsa resurrectione sua corpus spirituale adsumpserat (Vid. Progr. nostrum *de cibo Christi rediuiui* §. 7.). Transferamus hoc ad sanctos resuscitados. Quemadmodum Christus *ἐμφανὴς* fiebat non omnibus: ita de sanctis resuscitatis Matthæus, *ἐνεφανίσθησαν*, inquit, *πολλοῖς*, sine dubio, eos non a quocunque obuio, sed ab illis tantum, quibus se conspiciendos sistebant, visos fuisse, indicaturus; qui sine dubio clarius fuisset locutus, si cuiusque obuiorum præsentiumue cernere hos re-

30.

29.

28.

27.

26.

fuscitatos licuisset. Quid igitur aliud, quam sanctos illos, corporibus spiritualibus donatos, reuixisse, atque e tumbis egreffos esse, colligendum est?

XV.

et resuscitati fuerunt ad vitam caelestem.

Corpus spirituale incorruptibilitate et immortalitate pollet 1 Cor. XV. 42. 44. Enim vero qui corpus gerit incorruptibile et immortale, ille ad hanc vitam, in qua homini semel mori statutum est Hebr. IX. 27, non pertinet. Quoniam igitur, qui corpore spirituali instructus est, ad hanc vitam non pertinet, fieri non potest, quin ad alteram eamque æternam referendus sit. Tuum itaque esto, Lector, iudicium, annon sancti illi, vt spiritualibus corporibus donati (§. 14), ad æternam beatamque vitam excitati fuerint? Atque hæc ipsa ratio est, cur olim, eos comites Christi, in cælum adscendentis, fuisse, dum nullibi in terra amplius reperiuntur, mihi probabile visum sit (Theol. Reu. T. II. §. 626. sch. 2. n. 5.).

XVI.

Verum nudi, an vestiti adparuerint?

Dum sancti resuscitati multis adparuisse dicuntur, curiosius forsitan: *utrum nudi, an vestiti se conspiciendos dederint?* quæras. Quæstio mihi similis videtur esse huic: *utrum Moses et Elias in monte Christo et apostolorum trigæ adparuerint nudi, an vestiti?* Si nudos adparuisse dicas, quia, vt corporibus spiritualibus instructi, vestibus non indiguerint: nil obstat, quin idem dicam de sanctis resuscitatis, quia hi quoque, corporibus spiritualibus instructi, e sepulcris exierunt (§. 14.). Si vero respondeas, eos vestitos inspectos fuisse, quæro: vnde vestes acceperint? et quidquid mihi respondeas, id tibi de sanctis his respondebo. Quemadmodum nobis Deus, dum corpus animale dedit, de vestitu etiam prospexit Matth. VI. 25: ita sine dubio etiam Deus, postquam sanctis resuscitatis vitam et corpus, in se nunc nullo vestitu indigum, reddiderat, de vestitu illis, si ad adparitionum actus illo opus fuit, prospexit, licet modus nobis ignotus sit. Plura enim Deus facere potest, quam capimus, aut intelligimus. Non igitur illi quæstioni tanta difficultas inesse videtur, vt ad illam soluendam dicamus, sanctos resuscitados habuisse adhuc in sepulcro vestem feralem, in qua elati

elati fuerant, inconsumptam, illaque indutos visos esse in agro ab obuiam factis; ex eoque colligamus, eos paucis ante mortem Christi diebus vel hebdomadibus sepultos fuisse in agro Hierosolymitano; quæ est opinio Viri Celeberr. Heumanni, ad simile exemplum Lazari Ioh. XI. 44. prouocantis in *dissertatione de passione Christi maiestatica* §. 31. Nam præterquam quod hæc sententia solorum sanctorum recentissimorum, et in solo agro Hierosolymitano, et ad hanc vitam factam, resuscitationem ponat, quæ non admitto (§. 3. 4. 15.), alia quoque difficultas superest. Iudæi enim non tantum veste ferali induebant, aut vt rectius dicam, linteo inuoluebant mortuos suos, sed etiam fasciis a planta pedum ad collum vsque, brachiis inclusis, vti nutrices nostræ tenellis faciunt infantibus, ligabant; quare Christus Lazarum resuscitatum solui, vt ire posset, iubebat Ioh. XI. 44. Ast hi sancti reuiuiscetes, sed linteis pariter ac fasciis inconsumptis inuoluti iacentes, qui eos soluisset, habuissent neminem.

XVII.

Sed quis illos sanctos, inquis, in vitam reuocauit, dum virtute propria reuiuiscere non potuerunt? Vno et indiuiso actu omnium Deitatis personarum resuscitationem sanctorum, de qua disputo, factam esse, exploratum habemus (§. 6.). Quis igitur, eam pertinere etiam ad filium Dei, non videat? Sed Filius Dei tunc erat *θεὸς ὁμοιωμένος* rediuuius, quia post resurrectionem Christi resuscitati fuerunt (§. 12.). Ergo *θεὸς ὁμοιωμένος* rediuuius illos, licet vel loco distans, per vim suam viuificam in vitam reuocauit ita, vt hic quoque valuerit illud apostoli I Cor. XV, 21. 22.: *per hominem resurrectio mortuorum et in Christo omnes viuificabuntur*, atque vt hæc paucorum resuscitatio resuscitationis mortuorum vniuersalis, per Christum olim futuræ, typus et imago fuerit.

Christus θεὸς ὁμοιωμένος illos resuscitauit.

XVIII.

An vero utilitatis cuiusquam videatur esse, si Christus rediuuius sanctis, quibus vitam reddiderat, etiam adparuerit? Quidni? Sancti illi vetustiores, vitam olim in terra agentes, Messiam,

An Christus adparuerit sanctis rediuuius?

30.

29.

28.

27.

26.

Messiam futurum, semen mulieris, et benedictionem Abrahamæ, per quem salus omnibus gentibus impertienda erat, olim sperauerant et expectauerant Genes. XLIX. 18, Ies. LXIV, 1. Ps. XIV, 7; videndi eius et amplectendi cupiditate flagrauerant Ioh. VIII. 56. Luc. X. 24; per eundem gratiam diuinam et remissionem peccatorum consecuti, illiusque causa in aulam fulgentissimam ciuitatis diuinæ ratione animæ transpositi fuerant; sed de facie illum non nouerant, cognitioque factorum et passionum Messiae in mente eorum multis obscuritatibus adhuc erat obnoxia. Quanto igitur gaudio sanctos illos resuscitados perfusos credas, si mundi saluatorem desideratissimum oculis creuerint? si ex ore eius, se esse illum, quem patriarchæ et omnes veri Dei serui expectauerint; illum, qui vaticinia prophetarum impleuerit; illum, qui iis ipsis æternæ gloriæ coronam vitamque perennem et felicissimam, qua fruebantur, sanguine morteque sua adquisiuerit, perceperint? si denique præsens saluator iis, se illos secum in cælestem sedem ducturum esse, vt anima et corpore ineffabili gaudio ibi sine fine perfruantur (§. 15.), nunciauerit? Et quid dicam de sanctis resuscitatis recentioribus, qui Iesum quidem de facie nouerant, eumque Messiam esse a Deo promissum, crediderant, sed morte præuerti, exitum eius Hierosolymitanum non viderant? His si Iesus passionem et mortem suam, salutis ipsorum radicem; his si resurrectionem suam, resuscitatione ipsorum comprobata; his si adscensionem suam in fulgentissimam cælorum sedem, cuius ipsi comites futuri sint, nunciauit, hem quanto gaudio illos elatos fuisse, arbitremur? Sane ex eiusmodi adparitionibus sancti resuscitati rationem resuscitationis suæ intelligere, simulque præcones resurrectionis Christi penes eos, quibus adparebant, euadere potuerunt. His igitur perpensis, Iesum rediuuium sanctis, in vitam reuocatis, adparuisse, non infimam probabilitatem habet.

XIX.

Quos sermo-
nes fecerint
sancti resu-
scitati?

Sancti resuscitati ingrediebantur urbem sanctam et adparebant multis, sc. in ista vrbe. Quoniam vero mutos eos adparuisse,

ruisse, conueniens non est, quid confabulati sint? aut quid noui attulerint? nobis in mentem veniat.

Nauita de ventis, de tauris narrat arator,

Enumerat miles vulnera, pastor oues,
vt canit Propertius l. 2. el. 1. Sanctos igitur, quorum anima e cælorum gaudio euocata et corpori suo reddita fuerat; sanctos, qui corpore spiritali æternæ vitæ causâ donati fuerant; sanctos, qui omnibus terrenis longe se superiores factos intelligebant, hos, inquam, sanctos an de agrorum fertilitate, de tempestatum vicissitudine, de honorum fastigiis, de libidinum irritamentis, de imperiis mundanis sermones fecisse, arbitremur? Quin potius hoc personis ipsorum dignum fuit, vt ingentem magnitudinem cælestis felicitatis, quam ratione animæ senserant in se ipsis, deprædicarent; vt Iesu rediuiui virtute se iam in vitam reuocatos esse, significarent; vt eundem Iesum, crucis supplicio interfectum, sed propria vi resuscitatum, semen mulieris et Abrahæ, et Messiam promissum esse, quem salutis fontem omnes pii sperauerint et exspectauerint, testarentur; denique vt se Iesu, propediem in cælum adscensuri, comites fore, nunciarent. Talibus autem sermonibus homines, offensos supplicio Iesu Nazareni, et in fide vacillantes, in eadem confirmatos, et roboratos, alios ad fidem in Iesum permotos fuisse, quis in dubium vocet?

XX.

Nunc quomodo resurrectio Christi ex resurrectione sanctorum gloriosa fuerit, poterit intelligi. *Gloriosum* h. l. quod ad perfectiones alicuius agnoscendas et celebrandas facit, adpello. Enim vero Christi resurrectio in se faciebat ad infinitam illius perfectionem agnoscendam et celebrandam. Nam dum ipse e sepulcro clauso et obliuato, et custodibus munito, viuus eo, quod ipse prædixerat, tempore egrediebatur, nulla resurrectionis illius causâ externa in oculos incurrente, nonne hoc ipso, se non hominem merum, sed *θεῶν υἱὸν* et omnipotentem Dei filium esse, demonstrabat? Erat igitur resurrectio Christi gloriosa in se. Sed erat etiam gloriosa ex resurrectione sanctorum. Sancti resuscitati enim per ipsam resurrectionem suam

C

siebant

30.

29.

28.

27.

26.

fiabant testes resurrectionis Christi (§. 17.). Sancti resuscitati, Iesum non *κακῆργον*, sed filium Dei, mundique saluatorem, per quatuor millenarios anxie speratum et expectatum, esse, iis, quibus se conspiciendos præbebant, nunciabant (§. 19.). Sancti resuscitati, ipsius Christi rediuiui adparitione recreati, eo maiori cum contentione de resurrectione Christi disputare potuerunt, quo minus, sensuum se falsos fuisse testimonio, vlllo indicio constabat (§. 18. 19.). Ad perfectionem igitur Christi rediuiui agnoscendam et celebrandam cum tantum fecerit resurrectio sanctorum, gloriosam fuisse resurrectionem Christi ex sanctorum resurrectione, dubitatione superius est habendum.

XXI.

Explicatio
Cel. Heumann-
ni.

Priusquam hanc meditationem relinquam, facere nequeo, quin Viri Cel. Heumannii nouam prodigii explicati explicationem commemorem. Scilicet hanc ille verborum Matthæi paraphrasin dedit in *Diss. de passione Christi maiestatica* §. 31: *Etiam sepulcra tum illo terræ motu concussa aperiebantur, multique, qui credentes in Christum nouissime vita defuncti atque eo loco in terram reconditi erant, in vitam reuocati exierunt e suo quisque sepulcro, apertisque rursus urbis Hierosolymæ portis, id quod mane eius diei fiebat, quo Christus resurrexit, suam hanc urbem intrarunt, ac suam quisque domum repetierunt, multis obuiam facti, qui ipsos cernebant ferali adhuc veste illa indutos, in qua elati fuerant.* Quia autem in hac paraphrasi supponitur, 1) sanctos resuscitados paucis diebus vel hebdomadibus ante Christi mortem decessisse; 2) eos sepultos fuisse in solo agro Hierosolymitano; 3) eos in vitam reuocatos fuisse confestim post Christi mortem et ante eius resurrectionem; 4) eos resuscitados fuisse ad vitam naturalem, ob eamque causam quemlibet domum suam et muneris sui negotia repetisse; 5) eos inconsumpta adhuc habuisse vestimenta feralia, in quibus elati fuerant, iisque velatos ab obuiis hominibus inspectos fuisse; de quibus omnibus iam est in superioribus disputatum: tantum abest, vt nouum discussionis campum ingressurus sim, vt commemorasse sententiam, sufficiat.

XXII.

XXII.

Vtinam gloria resurrectionis Christi, tot testibus firmatæ, *Epilogus.*
in nostris quoque mentibus esset efficax! Vtinam illa ad resur-
rectionem ab omnibus operibus mortuis nos permoueret! quia
peccatis mortuo, myltici corporis Christi rediuiui membrum
esse, non licet. Vtinam fidei manu tam arcte adprehendamus
Iesum, vt resurrectio illius de nostra ad æternam gloriam re-
surrectione nos certissimos reddat! Ita enim nobis inutilis non
erit Christi resurrectio, ex qua summam vtilitatem capere po-
teramus.

XXIII.

Nunc ad illud, quod temporis ratio postulat, progredior. *Candidati
academici*
Sex Iuuenes generosæ ex parte optimæque indolis,

I. IOH. AVGVSTVS FRIDERICVS DE GOECHHAVSEN

Eques Thuringicus,

II. IOH. GOTOFREDVS MULLER

Denstadio-Vinariensis,

III. CHRISTIAN. GOTTLIEB HVFELAND

Tenstadio-Thuringus,

IV. IOH. MICH. FRID. AVGVSTVS KAEMPF

Blanckenhaynenfis,

V. GVILIELMVS FRIDER. BERGMANN

Vinariensis,

VI. CAROLVS FRIDER. BERTVCH

Herrngofferstadio-Thuringus,

spatium temporis, quod curriculo scholastico destinauerant,
emenfi, acroases Gymnasii cum academicis commutare consti-
tuerunt, ob eamque caussam nouissimum *) diligentæ et pro-
fectuum specimen publica declamatione in lucem proferre ge-
stunt. In mentem igitur mihi venientibus verbis Horatii *de et declama-
arte tionum argu-
menta.*

C 2

*) Oratorum nostrorum primus olim ter, quartus bis, dato reliquis lau-
dabili diligentæ exemplo, declamarunt; quemadmodum ex Part. IV.
Diatribes de baptismo profelytorum et ex Part. I. et IV. *Comment. de in-
credulitate finali expiationis Christi* experte adparet.

30.

29.

28.

27.

26.

arte poetica v. 312. seqq. in acroasibus publicis non ita per
explanatis:

*Qui didicit, patriæ quid debeat, et quid amicis;
Quo sit amore parens, quo frater amandus, et hospes;
Quod sit conscripti officium? cet.*

auctor fui eorum

PRIMO, vt, *quid quisque debeat patriæ?*

SECUNDO, vt, *quid amicis?* perquirerent ac demonstra-
rent. Tum

TERTIVS, *quo amore parens?*

QUARTVS, *quo frater?*

QVINTVS, *quo hospes amandus sit?* in apricum ponent.

Denique


SEXTVS, *quodnam conscripti, h. e. senatoris, sit officium?*
peruestigabit. Pro more autem Gymnasii nostri sermonis va-
riatio hæc erit, vt primus carmine Germanico, secundus Latino,
tertius, quartus, sextus sermone Latinorum, quintus Græ-
corum vtantur; nec, quartum pro beneficio mensæ gratuitæ
PRINCIPI SERENISSIMÆ humillimas gratias acturum,
primum autem nomine omnium Mæcenates Præceptores atque
amicos valere iussurum esse, reticendum est.


XXIV.


*Inuitatio et
votum.*


Quamobrem ne ei, quod mearum partium est, desim,
Vos, AVLAE et SYMMORVM COLLEGIORVM
OPTIMATES, EPHORE MAGNIFICE, SACRORVM
ANTISTITES, PATRONI, MAECENATES, AMICI,
quisque, quo decet, cultu prosequendi, vt cras hora ix in
maiori Gymnasii auditorio oratoribus nostris aures beneuolas
accommodetis, præsentiaque Vestra desideratissima studium
eorum excitetis, obseruantissime et amicissime rogo. CAN-
DIDATOS ACADEMIÆ autem Deus, cursu studiorum
prosperè finito, fulcimenta et ornamenta patriæ olim esse, in
gloriam suam iubeat!


P. P. VINARIAE DIE XX. APRIL. A. C. MDCCLXII.



















ma consistit in seria, universali, efficaci
Divinae manifestatione, & beneficiorum per
Ecclesiae oblatione. Dico I. *seria*, non enim
tas, non fucata, non hypocritica, absit!
quod adversarii volunt, DEUS hominibus fo-
ntus autem decerneret, se nolle illos, qui-
fert, fieri ejusdem participes. Esset & ipse
elusor hominum, omnes ad amplectendam
o vocans, à gratia tamen illa quosdam arca-
is, cum juramento per vitam suam Ezech.
nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur
enim ut DEUS omniscius vel maxime præ-
sint verbum, qui non, nulla tamen est con-
ferio vocet omnes. Eodem enim modo
cit Magistratus & prævidet, non omnes ob-
s, ergo non omnibus serio promulgat leges?
nes ex Turcica captivitate liberandos hanc
ergo non omnes serio vult liberare? falsum.
tat, quod non omnes ex audito verbo fidem
i culpa non penes DEUM est, sed homines,
n efficaciter sed non irresistibiliter operan-
onentes; quod Christus parabola illa Luc.
Dico II. *Universali*, quod §. antec. proba-
nim obstat speciosum illud Calvinianorum
gumentum, ab experientia desumptum, quan-
tatio universalis esset, omnibus prædicare-
l nullibi factum. Quot enim populosissimæ
America, &c. quæ ministerio verbi penitus
nim DEUS OMNIBUS ubiq; hominibus an-
t, Act. 17, 30. Cum jam Pauli tempore in-
verit sonus Apostolorum, & ad fines orbis
10, 18. Cum Apostoli admonuerint OMNEM
MNEM hominem in omni sapientia, ut sistant
fectum in Christo 7 Eſu, Col. 1, 28. (en tri-
niversalitatem!) quid temeritatis esset ad-
gere? Ad minimum non desunt his pro-
ta §. VI. adducta. Nec est, quod nobis lo-
cum

S. VII.
Forma.